

SEQVITVR CATALO  
GUS AUTORUM QUI IN  
hocopusculo continentur.

1. Rogerius Baro.
2. Raymundus Lullius.
3. Rosarius Arnoldi.
4. Clamor Buccinæ.
5. Rosarius Minor.
6. Richardus Anglicus.
7. Calid Rex.
8. Avicenna.
9. Bernhardus Comes.
10. Turba Philosophorum.

R O G E R I V S B A R O L I B.  
2. *De speculo Alchimie.*



Inctura solummodò generatur ex Mercurio Sa-  
pientum, qui nominatur prima materia, aqua  
permanens, Acetum Philosophorum, lac virg-  
inis, Mercurius corporalis, cum quo nihil extra-  
nei vel alieni commiscetur, uti sunt salia, alum-  
na, vitriola, quia ex ipso solo tota virtus hujus Magisterii ge-  
neratur. Quælibet res ideo resolvitur, ut multiplicari possit.

Prædictus Mercurius radix est & arbor, ex qua infiniti  
multi rami oriuntur, & crescunt.

Primus labor ad faciendum elixir est sublimatio, quæ ni-  
hil aliud est, quàm subtiliatio nostri lapidis, in qua munda  
ab omnibus suis superfluitatibus:

Fixæ partes & volatiles non separantur ab invicem, sed  
unitæ manent & simul fixantur, ut utraq; facilem habeat  
fusionem in igne.

Accipe igitur prædictum Mercurium, quem in vitro sig-  
lato pone in suum lectum calidum, per mensem Philosopho-  
rum, donec in se ipso incipiat putrescere & coagulari, omnia  
que sunt